

dam causæ id præstantes. Veluti I. Quando quis accusat, vel denunciat ex officio iuxta dicta supra numer. 5. arg. L. 2. C. de His, qui accusant. & L. 2. C. de Delat.

14 II. Infirmitas sextus, si molier accusat, vel denunciat cit. L. 1. §. 10. ff. ad S. C. Turpil.

15 III. Si saltem semiplenè, v. g. per unum testem omni exceptione majorem delictum probavit. Farinac. in Praxi Criminali. quæst. 16. numer. 41. Menochius de Arbitrio Judicis. casu 321. numer. 17. & 18. Felinus in c. 2. h. t. numer. 3. cum communi. Cui concordat nostra Praxi Criminalis Tit. Accusatio. §. IV.

16 IV. Si quis immenso dolore incitatus accusat, ut si parentes necem prolis vel eontra, aut si paritum necem, vel adulterium cum illo commissum accusat. L. 2. C. h. t. & l. Quamvis. 30. C. ad Legem de Adult.

17 V. Si jam præcessit infamia, vel alia indicia sufficientia ad inquirendum de delicto contra accusatum. Farinacius loc. cit. num. 61. & 62. Pirhing h. t. num. 5. cum communi.

18 VI. Si Accusans probat, se audivisse à viris fide dignis crimen à Reo fuisse commissum: vel si fuit deceptus à Testibus promittentibus prius, se plenum daturus testimonium, postea vero in iudicio vacillantibus, aut negantibus. Farinacius cit. q. 16. numer. 49. & 50. Abbas in c. 2. h. t. cum Communi. Concordat Praxi nostra loc. cit. Idem est, si Testes ab eo nominati, interea fuere mortui, vel à perhibendo testimonio malitiosè impediti.

19 VII. Si probavit, vel probare vult per Testes, qui ob testificandi inhabilitatem Accusatori prius ignotam rejiciuntur. Farinacius loc. cit. num. 59. Menochius in Arbitr. Judic. casu 321. num. 31. cum Communi.

20 VIII. Quando accusatur talis, quem lethalem periculum fuisse, ante mortem suam dixit lethali- ter vulneratus, & postea mortuus. Farinacius loc. cit. num. 60. cum Glossa communiter recepta in l. Mater. C. h. t.

21 IX. Si fit Accusatio, vel Denunciatio de Crimine in damnum & grave periculum boni communis redundante, uti Crimen læsæ Majestatis &c. Abbas in c. 2. h. t. num. 2. & ibi Felinus num. 6. Farinacius loc. cit. num. 57. Ex his ergo ac similibus causis iussu arbitrio Judicis cognoscendis excusatur Accusator, & Denunciator à Calumnia, & pœnis ejus; etsi in probatione criminis deficiat. De quibus amplius vide Farinacium in Praxi Criminali. cit. q. 16. à n. 32. Menoch. de Arbitr. Judicis. casu 321. Abbatem in c. 2. h. t.

22 Illud tamen hic notandum venit, quòd iuxta hujusmodi causa in dubio non præsumatur, sed eam Accusator, vel Denunciator in probatione delicti deficiens, probare debeat; ad quod eadem præsumendus est terminus, infra quem nisi causam iustam legitime probet, Calumniator præsumitur, pœnisque Calumniatoris subjacet, ut bene cum aliis docet Farinacius loc. cit. num. 38. Pirhing h. t. num. 5. & quòd in contrarium militet juris præsumptio c. 2. h. t. Hinc Accusator in probatione deficiens, à Calumnia, & pœnis ejus non excusatur per hoc, quòd dicat: Audivi hoc à Viris fide dignis: vel, fuit communi fama de hoc &c. nisi hoc etiam legitime probet.

23 Queritur IV. Num enarratæ iustæ causæ non tantum à nota Calumniatoris, & pœnis ejus, sed etiam ab actione injuriarum immunitatem reddant Accusatorem deficientem in probatione criminis ob- jecti? Resp. Affirmative, saltem si iuxta causa talis sit, quæ non tantum à dolo, sed etiam à cupa, &

temeritate excusat. Farinacius loc. cit. numer. 67. & 71. Covarruvias Variar. Resolut. lib. 1. cap. 11. num. 6. Menochius Consil. 145. num. 14. Cæpol. in Consil. Criminali. 70. dub. 3. cum communi contra Alexand. Consil. 11. num. 4. volum. 1. Boli, de Accu- sator. num. 19. ad finem. Bajard. ad Clarum. §. fin. q. 62. num. 34. & alios volentes, quòd etiam Reus con- tra Accusatorem in probatione deficientem tan- quam Calumniatorem agere, & ab eo quâ talis ex- pensas litis, & alias præterdere non valeat, possit tamen contra illum intituere actionem injuriarum, quæ ad damna, & interese etiam competit. Ratio autem Conclusionis nostræ est; quòd iuxta causa à dolo, & animo injuriandi excuset, per dicta; injuria autem sine dolo, & animo injuriandi non committitur, L. 3. §. ult. & penult. L. 4. ff. de In- jur. & l. Si non convitit. C. eod. ergo, ubi adest iuxta accusandi causa, nulla inferitur injuria, & per conse- quens non datur actio injuriarum.

Confirmatur. DD. omnes etiam Adversarii con- cedunt, quòd in actione Civili iuxta causa excuset ab expensis; ergo etiam in Criminali; ut bene do- cet Bart. in l. Non ignorat. C. de Evict. & Lit. expen- sâ. præsertim, quòd aliis nemo accusare audeat, licet que delicta manerent impunita, si iuxta causa Accu- santem non excusaret ab actione injuriarum, & ex- pensis litis, prout consideranti patet.

Dicitur tamen notanter in Conclusionè, si iuxta causa non tantum à dolo, sed etiam ab alia culpa Accusantem immunitatem reddat; alias enim illum sal- tem actione injuriarum ad expensas teneri volunt plures, quia si Accusatio temeritatis & culpæ ob- noxia est, tanquam iniqua causa damni Accusantem ad refundendas saltem expensas obligat; Textu val- de claro, l. Eum qui. 79. ff. de Judiciis. Menochius Consil. 149. n. 14. & alii.

Queritur V. Quibus aliis modis Accusatores delinquant, & pœnas Juris incurrant? Resp. Præ- ter Calumniam etiam prævaricari, & tergiversari, ac propterea etiam puniri possunt Accusatores, uti patet ex L. 1. §. 1. ff. ad S. C. Turpil. ibi: Accusa- torum temeritas tribus modis detegitur, & tribus pœ- nis subjicitur; aut enim calumniatur, aut præva- ricatur, aut tergiversatur. Quid sit, & quibus pœnis subjaceat. Calumniari, jam patet ex dictis.

Prævaricari dicitur, qui vel verus, vel simula- tus Accusator existens, postea incipit cum Reo inique colludere, veras probationes delicti distimulando, vel falsas, aut frivolas excep- tiones admit- tendo, sicque partes Rei, cuius adversarium se simulat, fovendo cit. E. 1. §. 6. ff. ad S. C. Turpil. ibi: Prævaricatorem eum esse, ostendimus, qui colludit cum Reo, & translative, id est, obiter munere accu- sandi fungitur, eò quòd proprias quidem distimularet, falsas verò Rei exceptiones admitteret. Concordat L. 1. §. 2. de Prævaricac.

Pœna Prævaricatoris est, quòd contrahat infamiam juris, textu expresso L. 1. §. 4. ff. de Præva- ricac. & hoc ipso etiam irregularitatem, can. Infa- mes. cau. 6. q. 1. cum Concordantiis. Præterea infi- miantur pœna extraordinaria ad arbitrium Judicis L. 1. §. 2. ff. de Prævaricac. ibi: Sciendum est, quòd hodie is, qui prævaricati sunt, pœna injungitur ex- traordinaria de Prævaricatione adhuc Tit. XXI. de collusione detegenda.

Tergiversari (quasi tergum vertere) dicitur, qui post litem contestatam ab Accusatione criminis citra abolitionem desistit, L. 1. ff. ad S. C. Turpil. ibi: tergiversari est, in universum ab Accusatione desistere. Et hoc delictum est, quia iuxta dicta Tit. præ- ced. numer. 50. ab Accusatione, vel Denunciatio- ne semel instituta, post litem contestatam non licet

licet amplius desistere citra abolitionem, quæ est Accusationis instituta preemptione, quâ nomen Accu- satoris cum omni inscriptione jam factâ totaliter aboletur, remissa necessitate accusandi; quæ abo- litio imperari debet vel à Principe, vel aliâ pu- blicâ autoritate, arg. l. si interveniente. 12. ff. ad S. C. Turpil.

Pœna Tergiversationis est quinque librarum au- ri, juxta L. 3. ff. de prævaricac. aut juxta l. 1. C. ut intra certum tempus Accusator non comparens debito tempore, quartâ omnium honorum parte privatur, & infamis evadit: & consequenter etiam irregularis.

TITULUS III.

De Simonia, & ne aliquid pro Spiritualibus exigatur, vel promittatur.

I Ratio Continuationis.

Vlgs de Processu Criminali in genere, nimirum de Accusationibus, Inquisitionibus, & De- nuntiationibus, simulque de Calumniatoribus ma- litiosè proximum accusantibus; pergit Compiler Juris Canonici ad ipsam Crimina in specie, & singillatim discutienda, ob quæ Processus, & Ju- dicium Criminale instituitur; incipiendo à Simo- nia, utpote gravissimo & Ecclesiæ maxime nocivo Crimine, ad eò ut omnia crimina ad comparationem Simoniz, quasi pro nihilo reputentur; can. Patet. 27. cau. 1. q. 7. prout magis dicitur infra à numer. 6.

§. I.

De Origine, Naturâ, & Malitiâ Simoniz.

SUMMARIUM.

- 2 Simonia derivatur à Simone Mago: & quare?
- 3 Definitur Simonia, & explicatur definitio, & duobus seqq.
- 6 Est peccatum mortale gravissimum, & omnium maximam.
- 7 Probatur ex Jure.
- 8 Et Ratione.
- 9 Vocatur etiam, sed non semper est hæresis.
- 10 Simonia est perniciosissima Ecclesiæ.
- 11 Non datur in ea levitas materie, nec ex parte rei temporalis. Et seq.
- 13 Nec ex parte rei spiritualis.

Pro prima Spbi. parte communiter receptum est, Simoniam secundum Nominis etymon à Simone Mago derivari. Quamvis enim jam à pluribus ante ipsum, vitium istud commissum sit, ut à Balaam, pretio conducto per Balac Regem, ut malediceret populo Israel Num. cap. 22. à Giezi famulo Elisei Prophete 4. Reg. 5. à J. sone, qui pro Sacerdote multa talenta Regi Antiocho obtulisse legitur 2. Machab. 5. & à Juda Mercatore pessimo, qui tri- ginta argenteis insumit bonum Christum Jesum vendidit, can. Qui sinit cau. 1. quæst. 2. Tamen non ab istis, sed à Simone Mago crimen istud nomen accepit: Tum quia primus in Novo Testa- mento per Apostolos jam promulgato, crimine isto gravissime, & manifestè se inquinavit, dum rem maxime spiritualem, videlicet mirabilem illam potestatem conferendi Spiritum Sanctum vii. pe- cuniarum pretio malitiosè emere volebat, Act. 8. Reiffenstuel Jus Can. Tom. V.

ibi Obulit eis (Apostolis) pecuniam indicens, date & mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum S. Cuius malitiam illico increpans Petrus dixit ad eum: Pecunia tua sit tecum in perditionem, quoniam Donum Dei excusasti, pecunia possideri. Tum quia pessimâ intentione malitiam hanc duplicatè id attendebat, ut scilicet potestatem illam pecunia consecutus, ean- dem cum questu & lucro temporali majori exercere posset, uti habetur can. Saluator. 8. cau. 1. quæst. 3. ibi: Simon Magnus, qui ad fidem fidei ac- cessit, non Spiritum S. propter Spiritum S. quæ ipse erat indignus (quoniam ut scriptum est, Spiritus S. disciplina effugiet fictum) sed ideo, quoniam in ipso erat, emere voluit, ut ex venditione signu- rum, quæ per eundem fierent, multiplicatam pecuniam lucraretur. Noto igitur Nominis Simoniz origine.

Queritur I. Quid, & quotuplex sit Simonia? Res. I. Simonia est studiôsa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum. Ita Glossa communiter recepta ad Rubricam h. t. Explicantur verba singula. Dicitur primò, studio- sa voluntas, id est deliberatus, & cum advertentia mali habitus actus voluntatis: Nam Simoniz reus saltem coram Deo non est, qui vel ex inad- vertentia temporale pro spirituali, vel recipere emit, aut vendit: vel qui ex ignorantia Juris aut Fidei id facit; dum videlicet vel ignorat, id esse illicitum, vel non scit, rem esse spiritua- lem.

Dicitur emendi, vel vendendi, quibus verbis non sola emptio, & venditio proprie dicitur, sed omnis alius gratuitus, tacitus, vel expressus Contractus onerosus, tam nominatus, v. g. permutatio, loca- tio, transactio, datio in solutum &c. quam inno- minatus dicitur des, dicitur facias &c. intelligitur: nam ratio materie subjete id postulat, fundaturque talis acceptio in Jure l. Statu liberi 29. ff. de Statu liberis. ibi: Lex duodecim Tabularum exemptionis verbo omnem alienationem complexi videtur.

Dicitur aliquid spirituale, vel spirituali annexum, per quæ verba quid intelligitur, plenè declarabi- tur infra §. seq. Addunt aliqui majoris claritatis gratiâ, pro re temporali; verum sicut Glossa omit- tit illa verba, ita & nos illa hic in definitione Simo- niaz omittimus; quia tacite jam includuntur in verbis emendi, vel vendendi, hoc ipso, quòd in emptione, & venditione semper necessario interve- niat pretium temporale.

Resp. II. Simonia est peccatum mortale Sacri- legii gravissimum. Ita unanimes & certa. Quòd sit Sacriligium, patet ex can. 1. cau. 1. quæst. 3. Ratio est, quia per eam indignè ac irreverenter tractantur res sacræ seu spirituales, quod semper Sacriligium est; prout magis Theologi. Quòd autem sit mortale, & quidem gravissimum, ex sacris Litteris, Jure, & multiplici ratione constat. Ex sacris paginis Act. 8. ubi S. Petrus in Simonem Magum cum æternæ perditionis comminatione graviter invehendo dicit: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam Donum Dei excusasti, pecu- nia possideri.

Ex Jure verò variis in locis id manifestè patet, 7 uti can. Reperiturus. 7. cau. 1. quæst. 1. ubi Simonia vocatur execrabile flagitium. Item can. Sani. 4. cau. 15. q. 3. ubi Crimini publico, & Læsæ Majestatis re- quiparatur. c. Cum in Ecclesia. 9. h. t. dicitur horri- bile nimis. Item can. Quisquis. 5. cau. 1. q. 1. nomi- natur pinculare flagitium. Gelasio Papa gravissi- mam hujus vitii malitiam & pravitatem paucis ex- primece volens can. fin. cau. 1. quæst. 7. dicere non

dubitavit: Omnia Crimina ad comparationem Simonie, quasi pro nihilo reputantur. Unde non immerito statuitur can. Erga Simoniacos 109. cau. 1. q. 1. ut contra Simoniacos absque ulla misericordia procedantur.

8 Ratio tante malitie multiplex quidem, potissima autem hec est: quia per Simoniam res sacre ac spirituales, seu supernaturales, ac dona Spiritus S. maxime profanantur, indignissime tractantur, a parte rei iniquissime contemnuntur, & vilipenduntur, hoc ipso, quod, dum Simoniaci dantur, aut procurantur, re ac pretio temporali aestimantur, eique equiparentur; cum tamen quevis etiam minima res spiritualis, seu supernaturalis omnia mundi pretia longe superet. Imo per Simoniam non tantum res spirituales, sed in rebus spiritualibus ipse Spiritus S. indignissime tractatur, & pretio vilissimo aestimatur, emendoque & vendendo servus creatorum in libera earumdem potestate positus, execrabilis Sacrilegio efficitur, prout verbis expressis habetur can. Eos. 21. cau. 1. q. 1. ibi: Iste (Simoniacus) Spiritum S. efficiunt suum servum. Omnis enim Dominus, quod habet, si vult, vendit, sine servum sine aliquid aliud eorum, que possidet. Similiter est qui emit, dominus eius volens esse, quod emerit, per pretium pecunie illud acquirit. Ita est qui hanc iniquam actionem operantur, detrahunt Spiritui S. equaliter peccantes his, qui blasphemant &c. atque Jude comparantur proditori, qui Judaeis Dei officinibus Christum vendidit. Quid amplius ad probandam, & detestandam malitie Simoniacae gravitatem dici potest?

9 His accedit, malitiamque Simonie auget, quod in jure passim vocetur heresis, eique equiparetur; ut can. Presbyter. 3. cau. qui studet. 11. cau. quicumque 12. cau. Cum liqueat. 13. cau. 1. q. 1. cum concordantibus; imo can. fin. cau. 1. q. 7. dicitur: Simoniacos veluti primos est praeceptis hereticos ab omnibus fidelibus respiciendos esse. Verum licet Simonia cum heresi committi possit, nonnumquam committatur, quando videlicet committens illam, verè existimat, res spirituales, seu supernaturales, & dona Spiritus S. pecunia, seu alia re temporali acquiri, ac possideri posse; hoc enim sentire, est formalis heresis, ac detestabilior heresi Macedonii, can. Eos, qui cau. 21. q. 1. (prout etiam Simon Magus in hoc sensu committens, veram commisit heresim, verusque fuit hereticus) tamen sine heresi committi potest Simonia, quando scilicet quis bene scit, & credit, spiritualia pro temporalibus emi aut vendi non posse, & nihilominus ex avaritia, aut alia inordinata cupiditate id attentat; prout plerumque fit, dum his temporibus Simonia committitur.

10 Augetur ulterius gravissima Simonie malitia, quod Ecclesie Dei perniciosissimum, & vel inde etiam pessimum vitium sit, prout bene observat Layman lib. 4. Tr. 4. cap. 8. num. 4. Pirhing h. z. num. 3. cum communi aliorum. Ratio est; quia per Simoniam facile fit, & urina non saepe fieret, quod indigni assumantur ad Praelaturas cum gravi Ecclesiae, & subditorum damno ac praedjudicio, Beneficia conferantur iis, qui parum attendentes onera Beneficiorum, solis inhiant redditibus, non sine injuria & defraudatione Fundationum: Ad Religiones neglectis dignioribus suscipiantur indigni, aut inepti magno cum Religionum detrimento: Ecclesis Parochialibus tales, qui vel defectu sufficientis scientiae & morum, necessarium doctrinae, & exempli pabulum subtrahunt ovis, easque lenta fame perimunt; vel, quod deterius est, male habituari, vitis aperte indulgendo, easdem malo exemplo crudeliter maciant, indeque non tam pastorem, quam lupum pro custodia sua habere cogantur miser ac simplices

oves, cum ingenti earumdem strage & interitu; sicut enim per bonos & dignos Pastores plurimas salvari oves, ingenique emolumentum spirituale provenire certum est, ita per malos & indignos, non paucas perire, deplorandumque detrimentum spirituale sequi, compertum est. Propter quae, ac similia Ecclesiae, & animarum damna, manifestissima alia Christi Sponsa Ecclesia per SS. Canones iusta indignatione mirum in modum invehitur in Simoniam ac Simoniacos, ita ut nullam misericordiam exhiberi velit Simoniacis, cit. can. Erga Simoniacos 109. cau. 1. q. 1. Simoniam verò praeter gravissimas infra §. XI. allegandas penas variis, usque pessimis afficit titulis; nam c. Secus 6. h. z. Pylis omnes alios morbos vincunt, ob Ecclesia Dei illico eliminanda dicitur, can. Reperitur. 7. cau. 1. q. 1. Vultus controrsum nominatur, cau. cum ordinatur. 14. cau. 1. q. 1. Lepa appellatur &c. Vae omnibus, qui simoniaci vel dant, vel obtinent Beneficia maxime Curata; praesertim cum vix sit (excepta ignorantia invincibili) quod a Simonia excuset, uti magis dicitur infra §. III.

Queritur II. An detur in Simonia levitas materialis, excusans saltem a mortali? Resp. Nec ex parte rei spiritualis, nec ex parte rei temporalis (quae pro invicem dantur, ac promittuntur &c.) datur levitas materialis, sed omnis Simonia etiam in minimo, & per minimum advertenter commissa, gravissimam supra declaratam malitiam continens peccatum mortale est. Sanchez lib. 1. in Decalog. cap. 4. num. 1. Layman. loc. cit. num. 4. Navaricus h. z. cons. 52. num. 3. Palao de Simonia puncto 1. num. 7. Bonacina de Simonia. q. 3. n. 13. cum communi. Quod non detur ex parte rei temporalis, quae datur aut offertur pro spirituali, probatur ex c. Ex tua 20. h. z. ubi Clericus, qui sex tantum solidos pro ordinatione solvit, perpetue suspensioni subijcitur, quae pena utpote gravis utique gravem culpam supponit, cum pena commensuratur culpa. arg. can. Non offeramus 21. cau. 24. q. 1. Et c. quaevis 2. de His, quae sunt a majori parte Capituli. Probatur insuper ex can. Placuit. 102. cau. 1. q. 1. ubi etiam sola Tremefis (est tertia pars unius solidi juxta Glossam hic §. Tremefis) pro modico Christifide, sub aeternae damnationis periculo prohibetur, ne forte, inquit textus, quod pro salute animarum per invocationem Spiritus S. consecratur, sicut Simon Magus domum Dei pecunia voluit emere, ita nos venundantes, damnabiliter venundemus. Concordat can. Judices. 23. cau. 1. q. 1. Ratio est; quia quod minor, ac vilior est res temporalis, eò magis vilipenditur, & indignè tractatur res spiritualis, utpote quae pro parvo pretio temporalis aestimatur & equiparatur; ut prolixè ex vilitate seu parvitate rei vel pretii temporalis non minuatur, sed augetur malitia Simonie.

Nec obstat c. Esi quaevis 18. h. z. ubi ratione 12 modici pretii excusatur quis a Simonia. Nam contra est; quod non excusatur ex eo, quasi verò modica pretii quantitas non sufficeret ad grave & mortale peccatum Simonie, sed ex eo, quia Ecclesia benignè praesumit, quod modica pretii quantitas sit gratis data, ac insufficientis, ut moveat & obliget accipientem ad dandum propterea aliquid spirituale. Veritas hujus patet ex ipso textu ita sonante: Si persona offerat elevarium, aut de vino, aut de aliis butyrosi, quae modici pretii sunt, est quae voluntatem recipientis movere non debeat, Ecclesia Romana interpretari non consuevit (nota benignam interpretationem) accipientem in his delinquere, vel dantem. Sufficit ergo quaevis minima quantitas pretii, vel muneris temporalis ad grave Simonie peccatum committendum, graveque penas in conscientia contrahendas, adeo ut, licet Ecclesia ex benigna interpretatione

tatione modicum quid temporale pro spirituali, beneficio v. g. consequendo, dantem, vel praestantem, in foro externo Simonie reum nec judicet, nec puniat, talis nihilominus coram Deo gravis Simonie, & poenarum illarum reus existat, consequenter (juxta dicenda infra de poenis Simonie) Beneficium dimittere, & fructus interea perceptos restituere debeat, si illud modicum temporale obligatorie, vel saltem ut motivum pro consequendo Beneficio dedit, ac praestitit.

13 Probatur etiam, quod ex parte rei spiritualis non detur parvitas materialis a mortali excusans ex cit. can. Placuit. 102. cau. 1. q. 1. ubi sub aeterna damnatione, consequenter sub peccato gravi illicitum declaratur, etiam pro modico balsami benedicti aliquid temporale dare, vel accipere. Ratio patet; quia cum quaevis etiam minima res spiritualis omnibus mundi thesauris sine comparatione praestantior sit, itreventer, & sacrilegè tractatur, magnaque injuria ei irrogatur, si aequalis cum re temporali pretii indignissime aestimatur, & pro eo datur.

§. II.

De Divisione Simonie in Mentalem, Conventioalem, Realem, Confidentialem, & in eam, quae est Juris Divini, & humani.

S U M M A R I U M.

- 14 Ratio hujus Divisionis.
- 15 Simonia Mentalis est interna quid? Est quomodo differant? Ecclesia tantum judicat de externis. Ibid.
- 16 Simonia Mentalis subinde ex parte utriusque, subinde ex parte unius, Est quidem persèpe fit: Exemplificatur: Est n. seq.
- 18 Transit saepe in Conventioalem & Realem.
- 19 Simonia Mentalis quid?
- 20 Et quid Realis?
- 21 Non est Simonia Realis, quae utrinque non est completa: Est n. praeced.
- Qui promittit temporalem pro spirituali, non tenetur ad illud, est istud jam accepit. Ibid.
- 22 Sufficit ad Simoniam Realem, est non totum, sed secundam partem duntaxat detur promissum temporale, aut contraria.
- 23 Non est necesse ut statim tradatur, sed sufficit, si postea fiat.
- 24 Simonia Juris Divini quid?
- 25 Simonia Juris Ecclesiastica quid?
- 26 Simonia rectè dividitur in haec membra.
- 27 Solvuntur objectiones contra hanc Divisionem usque ad n. 32.
- 28 Simonia Confidentialis quid?
- 29 Eadem remuneratur acquisitio Beneficii ex pacto Accessus, Regressus, & Ingressus: Et quid haec?
- 30 Sunt prohibita haec pacta a Concilio Tridentino, Est specialiter a Pio IV. ac V.
- 31 Proponitur duplex controversia circa Simoniam Confidentialem: Est n. seq.
- 32 Qui resignat alteri Beneficium reservat a sibi pensionem, reus est Simonia Confidentialis.
- 33 Limitatur.
- 34 In permutatione Beneficiorum non committitur Simonia Confidentialis ex parte permutantium.
- 40 Bene verò committi potest ex parte Ordinarii, vel alterius Collatoris Permutationem permutantis: Est quomodo?

- 41 Simonia Confidentialis est subinde Juris Divini, subinde Ecclesiastica.
- 42 Bulla Pii V. per extensum de Simonia Confidentiali.

Notandum prius, Simoniam communiter dividi in praefata Rubricae membra, de quibus haec specialis difficultas aut controversia apud DD. non existat, exacta tamen illorum cognitio valde necessaria est ad cognoscendum, an, & quibus poenis ob commissam Simoniam in foro externo, vel interno quis subiaceat; cum non quaevis Simonia poenam secum trahat, nec ob quamvis eadem poena incurratur, prout patebit ex §. XI. Hinc pro debita horum notitia specialem sphaeram de Divisione, & membris Simonie apponere placuit.

Queritur I. Quid sit Simonia Mentalis? Quid Conventioalis? Et quid Realis? Ante responsum nota, merito sub una Quaestione tria haec Simonie membra examinari, quae cognitio Nova à cognitione alterius dependet, eamque juvat, Notandum ulterius, tria ad propositum considerari posse in Simonia, videlicet interna voluntas seu intentio, pactio externa signis vel verbis expressa, & executio ipsius pactiois. Et secundum haec tria communiter dividunt Canonistae Simoniam in Mentalem, Conventioalem & Realem; prout statim magis patebit. Nam

Resp. I. Simonia Mentalis illa (de qua Doctores & Jura loquuntur) est quod quis dat temporale pro spirituali, aut recipere hoc pro illo, sine ullo tempore pactio expressio, vel tacito externe manifestato, haec tamen interna intentio, seu propositio, ut alterum obliget, moveat, aut alliciat ad dandum spirituale Beneficium v. g. Ecclesiasticum pro temporali, aut recipere ad dandum temporale pro spirituali.

Dicitur notanter, quando quis dat; quia, quod actu det, ad hanc Simoniam necessariò requiritur, ita, ut quaevis coram Deo etiam veram & mortaliter peccaminosam Simoniam quis committat, quando praecise interne proponit dare, aut praestare temporale pro spirituali, aut contraria; est nondum sit executio propositum, tamen haec Simonia, non dicatur Mentalis in sensu, in quo de illo communiter loquuntur Doctores, sed potius dici possit, ac debeat Simonia interna: Mentalis verò, de qua loquimur, si illa, quae quidem actum externum habet, malitia tamen illius se non prodit exterius, sed in sola mente remanet. Hujusmodi Simonie Mentales referuntur c. Tua nos. 34. Et c. fin. h. z. simulque additur, illas ab Ecclesia, utpote de manifestis tantum judicante, non puniri, licet apud discriminum Judicem (qui est scrutator cordium, Est cognitor secretorum) culpabiles judicentur, uti dicitur cit. c. 34. h. z. unde & in tali casu delinquentibus sufficit, per solam poenitentiam suo satisfacere Creatori, prout additur cit. c. fin. eod.

Haec Simonia Mentalis a poenis Ecclesiae libera, 16 quandoque ex parte unius tantum, quandoque ex parte utriusque committitur; dum nempe unus dat, & alter accipit quidpiam Simoniacè intentione, ita tamen, ut nullus suam malitiosam intentionem internam verbis vel signis exterius manifestet. Ex parte unius frequentissime, proh dolor! contingit, ut si quis v. g. serviat Episcopo, Patrono, vel alii pro exiguo, aut incompetenti salario, hac intentione occulta, nullo signo externo manifestata, ut ab eo in compensationem, aut recognitionem praestiti servicii conferatur Beneficium &c. Item, si quis Canonice, Parochiae, aut alii Beneficio inhians munera offert, H 4 aut

aut obsequia sive personalia, sive realia praestat Collatori, Electori, Patrono, Commendatori (id est illi quem gratia pollere ad Collatorem v. g. scilicet) externè simulando, quasi omnino gratis, & nescio quo titulo licito ita faceret, habens interim in mente hanc intentionem seu propositum, ut tali munere, vel obsequio alterum moveat ad conferendum, aut procurandum sibi Beneficium.

17 Pariter discurrendum est de illis, qui spirituale dant, Beneficium v. g. conferunt, vel ad illud praesentant, eligunt &c. hac occultà intentione & animo, ut accipiens, vel intuitu accipientis, alii obligentur aut moveantur ad conferendum sibi, vel suis Consanguineis aliquid temporale, vel hoc aut illud sibi luisse praestetur obsequium temporale, vel suo tempore conferatur Officium temporale, vel fiant intercessionis, recommendationes &c.

18 Et quamvis ob hujusmodi Simoniam, quamdiu manet occulta, nulla incurrat Ecclesiae poena, solumque Deum Judicem habeat & Vindicatorem; tamen si ita sit, ut alter facile advertere possit, ac debeat, iam transit in Simoniam *conventionalem*; & si propterea etiam temporale pro spirituali, aut spirituale pro temporali confert, aut praestat, *Simoniam Realem* evadit, & poenas Juris ipso facto inducit.

19 Resp. II. *Simoniam conventionalem* est, quando intervenit etiam conventio, seu pactum expressum, vel tacitum, externè manifestatum dandi temporale pro spirituali, aut e contra, ita tamen aut vel ex nulla, aut unà tantum parte fiat executio, quâ unus quidem dat spirituale v. g. Beneficium cum expresso vel tacito externè manifestato pacto obtinendi rem temporalem, alter verò, Beneficium nempe accipiens non dat illam. De hujusmodi *Simoniam conventionalem* casus habetur c. cum essent 12. h. t. Quod si ex nulla parte fit executio, vocatur *Simoniam Conventionalem puram*: si verò saltem ex parte unius fit executio, juxta dicta, vocatur *Simoniam Conventionalem mixtam*: utpote aliquid de *Realis*, & aliquid de *Conventionali* habens. Casu quo autem fieret quidem externa pollicitatio seu promissio dandi temporale pro spirituali, aut e contra: ab alio verò non esset acceptata non esset *Conventionalis*, sed tantum *Mentalis* *Simoniam*, uti bene advertit Farinac. lib. 1. d. Decis. 34. à numer. 4. quia deest vera conventio & pactum, quæ est duorum, vel plurium in idem placitum consensus tacitus, vel expressus L. 1. §. 2. ff. de Pactis, cum Concordant.

20 Resp. III. *Simoniam realem* est, quando tacita vel expressa pacto seu conventio de danda re spirituali pro temporali; aut e contra, ex utraque parte saltem inchoate impletur, id est, quando unus rem spirituales, beneficium v. g. & alter istud pro illa jam actualiter tradidit. Lessius lib. 2. cap. 35. Dubit. 6. num. 36. Pirhing lib. 1. n. 9. Herincx de *Simoniam* q. 1. num. 9. Guttier. can. q. lib. 1. cap. 9. n. 10. Covarruvias in reg. Peccatum. 2. §. 9. num. 7. Flamin. Paris. de resignat. lib. 7. q. 2. num. 7. Suarez, cum communi, & veriori aliorum, contra Sotum lib. 9. q. 8. a. 1. Palao de *Simoniam* punct. 22. n. 4. Cajetan. 2. 2. q. 100. art. 6. & nonnullos alios volentes, ad *Simoniam realem* committendam sufficere, si actu traditur, aut praestatur res spiritualis pro temporali, est pretium temporale solum aut praestitum non sit. Verum à priori & communi sententia recedendum non est; ut proin *Simoniam* quocumque tandem etiam firmissimo contractu commissa, tamdiu maneat solummodo *Conventionalis*, & consequenter à poenis Canonice immunis, donec res utriusque saltem ex parte tradatur.

21 Inferitur, si quis etiam serio promittit tempora-

le pro spirituali, vel e contra, & postea Beneficio v. g. jam accepto, poenitentia ductus promissionem ex parte sua adimplere, temporale videlicet promissum dare, aut praestare recusat, & omittit, *Simoniam realem*, & poenarum Juris reus non erit. Neque habet, quod in hoc casu de injustitia sibi timeat; quia res sacre in commercium, & contractum humanum venire non possunt, l. inter stipulationem. 83. §. 5. ff. de V. O. & conventio pro illis per aliquod temporale acquirendis invalida est, consequenter nullam obligationem inducit, arg. can. Si quis. 8. cau. 1. q. 1. l. sed Celsus. 6. princ. ff. de contrah. Empt.

Dicitur autem *saltem inchoate*, quia, ut bene cum 22 praecitatis observat Lessius loc. cit. ad *Simoniam realem* non requiritur ut totum, quod promissit, quis tradat, sed sufficit, si inchoate, seu ex parte det.

Inferitur, quod, si quis promissit alicui trecentos florenos pro Beneficio v. g. & isto accepto, interea dat centum, vel quinquaginta, vel etiam minus, *Simoniam Realem* poenas Juris inducens jam sit completa. Idem est, si quis plura promissit obsequia temporalia, & accepto Beneficio unum tantummodò, idque exiguum praestat, ita Doctores citati.

Porro non requiritur ad *Simoniam Realem*, ut 23 res temporales pro spirituali, aut e contra mutuo statim simul tradatur, sed sufficit, si post aliquod etiam longum temporis spatium, annum v. g. tradatur. Hinc licet *Simoniam* maneat *Mentalis*, vel *Conventionalis*, donec ex utraque parte fiat inchoate saltem traditio, tamen ab illo momento, quo etiam postea fit alterius traditio, *Simoniam Realem* completur, & quoad poenas Juris retrahitur ad tempus pactiois praeterite, prout magis dicitur infra §. XI.

Queritur II. Quid sit *Simoniam Juris Divini*, & 24 quid *Simoniam Juris Ecclesiastici*? Item an bene dividatur *Simoniam* in haec membra? Resp. I. *Simoniam Juris Divini*, vel *Naturalis* est, quando pro re temporali datur, vel promittitur res verè spiritualis, aut huic annexa, v. g. Sacramenta, Beneficium, Calix consecratus propter Consecrationem &c. Cum enim natura seu lumen naturale dicitur indecens *Malum*, & rei sacre injuriosum esse, quæ à sola liberali Dei manu dependet, omniaque temporalia sine comparatione sequeparare, hominumque arbitrio & aëlimationi subjicere, merito vocatur *Simoniam Juris Divini*, & *Naturalis*. Estque propriissime dicta *Simoniam*, contra quam potissimum fulminant Summi Pontifices, ac SS. Canones: Erei proprie convenit *Simoniam* definitio supra num. 3. data.

Simoniam Juris duntaxat Ecclesiastici (sic dicta, 25 quia ortum habet à lege solâ Ecclesiastica) est, & committitur, quando non quidem datur temporale pro spirituali, aut e contra, sed spirituale pro spirituali, vel temporale pro temporali, contra legem tamen Ecclesiasticam ex motivo Religionis positam sub poenis *Simoniam Juris Divini*, ob periculum, & speciem ejusdem *Simoniam*. Talis *Simoniam Juris Ecclesiastici* est omnis permutatio Beneficiorum facta sine autoritate Superioris; licet enim per talem permutationem contractum non detur temporale, sed spirituale pro spirituali; nihilominus quia tanquam *Simoniam* est, & sub poenis *Simoniam* ab Ecclesia prohibitum est, ne id propria autoritate fiat. c. questum 5. c. Cum olim 7. de Rerum permutatione, labem *Simoniam Ecclesiasticam* continet. Talis etiam committitur, quando Colligantes super licet Beneficiali Transactionem faciunt propria autoritate arg. c. Clem. pridem 4. de Pactis, & c. Constitutus 4. de Transact. Talis item *Simoniam Juris Ecclesiastici* est, quando venduntur officia Oeconomii, Vicedominii, Thesaurarii, Sacri-

ficæ, & alia similia Officia ad rerum Ecclesiae temporalium administrationem, defensionem, vel custodiam ordinata; licet enim haec Officia sint quid merè temporale, consequenter in eorundem venditione detur solummodo temporale pro temporali, tamen quia Ecclesia id tanquam *Simoniam* prohibuit, can. Si quis Episcopus. 8. cau. 1. quest. 3. c. consulere. 33. h. t. Venditio hujusmodi labi & poenis *Simoniam* subjacet.

ficæ, & alia similia Officia ad rerum Ecclesiae temporalium administrationem, defensionem, vel custodiam ordinata; licet enim haec Officia sint quid merè temporale, consequenter in eorundem venditione detur solummodo temporale pro temporali, tamen quia Ecclesia id tanquam *Simoniam* prohibuit, can. Si quis Episcopus. 8. cau. 1. quest. 3. c. consulere. 33. h. t. Venditio hujusmodi labi & poenis *Simoniam* subjacet.

26 Resp. II. *Simoniam* rectè dividitur in *Simoniam Juris Divini*, & *Ecclesiastici*, ita Glossa in c. cum pridem. de Pactis §. Illicite, & in c. ex parte il. 1. de Officio delegati. §. Dimittere. quem sequuntur Theologi & Canonice, tam veteres quam recentiores serè omnes, in specie Anchoranus, Felinus, Abbas, Innocentius, Hostiensis, Decius, Fagnanus, Barbosa, & alii ad hunc Tir. contra paucos, inter quos non nemo minus eruditè dixit, hanc Divisionem ineptam, & chimericam esse, atque à solis Recentioribus Casuistis inventam. Conclusio manifesta patet ex Juribus num. praeced. citatis, in quibus cum plures allegentur *Simoniam*, quæ non sint *Juris Divini Naturalis* utique esse debent *Simoniam Juris humani Ecclesiastici*, à Jure videlicet Ecclesiastico introductæ.

27 Dices: *Simoniam* juxta dicta numer. 3. definitur, quod sit studiosa voluntas emendi, vel vendendi spirituale pro temporali, atqui *Simoniam Ecclesiasticam* non convenit hæc definitio; ergo non est vera *Simoniam*, consequenter *Simoniam* supra definita non bene dividitur in *Simoniam Juris Divini*, & *Ecclesiastici* Resp. Negando Major. Quia hic omisum, vel spirituale annexum, quæ verba, si adduntur, prout addi debent. Definitio praefata convenit etiam *Simoniam Juris Ecclesiastici*; utpote vi cuius licet non detur temporale pro spirituali, aut e contra, datur tamen spirituale pro spirituali habente quid temporale annexum, vel temporale pro temporali habente spirituale annexum, seu pro spirituali annexo, uti patet, dum propria autoritate consequenter *Simoniam* Ecclesiastica permutatur, Beneficium pro Beneficio, utpote quod praeter esse spirituale, etiam habet annexos redditus temporales: & in venditione Officiorum num. 25. allegatorum, utpote, quæ cultum Divinum, ad quem ordinata sunt, quodammodo annexum habent, illumque respiciunt.

28 Instabis: dum committitur *Simoniam Ecclesiastica*, datur spirituale pro spirituali sine respectu ad temporale annexum, vel temporale pro temporali sine respectu ad spirituale annexum; ergo non convenit ei definitio *Simoniam*. Resp. Transmissio Antecedente, negando consequentiam; quia concessio Antecedente tamen adhuc verum est, dicere, quod detur temporale pro spirituali annexo, etsi non detur propter spirituale, consequenter adhuc ei convenit definitio numer. 3. data. Et licet detur sine respectu ad annexum, nihilominus quia Ecclesia ex motivo Religionis id tanquam *Simoniam*, & sub poenis *Simoniam* fieri prohibuit, propter speciem & periculum (quod ob connexionem rei spiritualis cum temporali intervenit) *Simoniam Juris Naturalis*, vera *Simoniam* non quidem *Juris Divini*, sed *Ecclesiastici* committitur.

29 Urgebis: malitia *Simoniam* potissimum consistit in hoc, quod res spiritualis inestimabilis coequeatur vili pretio temporali; atqui hoc non contingit in *Simoniam Juris Ecclesiastici*; ergo. Resp. distinguendo Major. *Simoniam Juris Divini*, de qua plerumque in Jure est sermo, consistit in illo, conceditur; *Simoniam* ut sit, prout comprehendit sub se omnia membra, negatur.

30 Dices adhuc, Ecclesia non potest immutare re-

rum naturas; ergo non potest efficere *Simoniam*, quod ex natura non est *Simoniam*. Resp. Ecclesia non posse quidem mutare rerum naturas in genere *Entis*, posse tamen id facere in genere *Moris*: Nam potest aliqua ex se indifferentia, ex iustis causis precipere, vel prohibere sub motivo certæ virtutis, ita ut agens contra illud, vere committat vitium tali virtuti oppositum, etsi hujusmodi res ex natura sua tali vitio non subjacet; uti à simili patet in fornicatione v. g. cum consanguinea vel Affine in gradibus solo Jure Ecclesiastico prohibitis, in quibus committitur incestus, etsi talis ex natura non sit.

Et ex his responsis patet, etiam *Simoniam Ecclesiasticam* esse verè *Simoniam*, eique convenit definitioem supra num. 3. datam, consequenter illam à SS. Canonibus merito vocari *Simoniam*, & Glossam cum communi Doctorem bene facere, quod *Simoniam* ut se definitam, dividant inter alia etiam in *Simoniam Juris Divini*, & *Ecclesiastici*; quamvis non desint, qui concedunt, D. sancti nem supra num. 3. datam, *Simoniam Juris Ecclesiastici* exactè non convenire, consequenter eam *Simoniam* proprie non esse, inter quos sunt Pirhing. h. t. num. 6. Sotus lib. 9. de Justitia. q. 5. art. 3. Durandus. Laym. n. &c. Verum quia Canones, Glossæ, & communis DD. in sensu proprio bene defenli possunt, in eodem mandendum cum Suarez lib. 4. cap. 2. §. 7. Lessius lib. 2. cap. 35. dub. 5. cum aliis.

31 Queritur III. Quid sit *Simoniam Confidentialis*? seu (uti ab aliis, fieri etiam in Bullis vocatur) *Confidentia Beneficiorum*? & quando committatur? Resp. I. *Simoniam Confidentialis* est, & committitur, quando quis coipiam Beneficium Ecclesiasticum procurat eligendo, postulantem, praesentando, eligendo, vel electum, praesentatum &c. Instituentem, confirmando, cum certa confidentia, id est, cum expresso, vel tacito pacto, vel conditione, ut is, qui Beneficium adeptus est, idem Beneficium suo tempore iterum pedat ipsi, praefato modo procuranti, aut alteri v. g. Fratri, vel Nepoti suo, aut alii, vel ut alicui horum fructus Beneficii, aut partem illorum, seu pensionem praestet. Ita committitur, patet ex Bulla Pii IV. Romanum Pontificem (quæ habetur Tom. 2. Bullarii Cherub. ejusque 85. inter Constit. dicti Pontificis) ubi hæc *Simoniam*, ejusque iniquitas amplius describitur, speciè abusive poenis subijcitur (de quibus infra) & ex Bulla Pii V. Inrolerabilis (quæ patet 85. Constitutio est dicti Papæ in 2. Tom. Bullarii Cherub.) in qua Antecessoris sui Bullam innovavit, & quomodò hæc *Simoniam* in Foro externo facile probari valet, declaravit.

32 Resp. II. *Simoniam Confidentialis*, seu *Confidentia Beneficiorum* specialiter etiam committitur, si Beneficium conferendo, eligendo, praesentando, resignando &c. alicui procuratur cum reservatione seu pacto Accessus, vel Regressus, vel Ingressus. Pactum seu reservatio Accessus fit, quando quis cupiens Beneficium obtinere alicui, Titio v. g. qui de facto obierat, vel ob aliam causam inhabilis est ad habendum & fruendum Beneficium, confert illud interea alii, v. g. Cajo, hæc tamen conditione, ut Titius hæbeat jus (quod est nunc confectur) dictum Beneficium propria autoritate itam apprehendendi, quamprimum factus fuerit habilis, Layman lib. 4. tr. 10. §. 8. num. 75. Flamineus Parisiensis de Resignat. q. 5. num. 111. Pactum, vel Reservatio Ingressus fit, quando quis Beneficium sibi collatum, ante ejus possessionem illud dimittit, vel resignat alteri hæc conditione & pacto, ut, si talis ante ipsum moriatur, vel ad aliud Beneficium promoveatur, aut alia ratione illud amplius habere vel non possit, vel non velit, jus Resignanti remaneat Bene-

Beneficii sic resignati possessionem, quam prius non ceperat, statim capiendi & ingrediendi, hincque Beneficio in effectu fruendi. Layman ibid. Pactum Regressus fit, quando quis Beneficium actu jam possessum resignat alteri, reservato sibi iure regressandi ad idem, illoque fruendi, casu quo Resignatarius ante ipsum moriatur, aut aliud Beneficium incompatibile recuperet, aut alia ratione dictum Beneficium amplius habere, vel non possit, vel non vellet, aut pensionem non solveret. Idem Layman loc. cit. pateque clarè ex præcatis Bullis Pii IV. & V.

Porro, quamvis præfati modi Beneficia resignandi aut conferendi jam fuerint reprobati à Concilio Trident. Sess. 25. cap. 7. de Reformat. tamen memorati Pontifices declarando & disponendo addiderunt, quòd Simonia Confidentiali, penitusque eiusdem subiecerunt, & etiam coram Ordinariis locorum facti, illiciti, simoniaci, & penitus nulli essent; idque præter alias rationes idèd præcipue, ne in Beneficiis introducantur successiones hereditarie tantopere à SS. Canonibus reprobata, ut can. Apostolica. 7. can. Si ergo. 15. can. 8. q. 1.

Et quidem hæcenus dicta de Simonia Confidentiali sunt certa, utpote clarè expressa in allegatis Bullis. Est autem circa eandem duplex controversia inter Doctores, Prima, an in casu, quo quis alteri resignat, aut procurat Beneficium cum conditione aut pacto, ut annua pensio solvatur non alicui alteri, sed illi ipsi, qui Beneficium resignat, aut procurat, Simonia confidentialis committatur? Navarrus quidem b. r. consil. 76. num. 6. & Lessius lib. 1. cap. 35. num. 97. hoc modo Simoniam communem duntaxat, non verò Confidentialem committi, volunt, ducti eà ratione, quòd Pius V. dum Simoniam Confidentialem etiam ob reservationem pensionis committi declarat, expressè dicat, si fit pactum, ut pensio alii, vel aliis solvatur: consequenter ajiunt, si fit pactum aut conditio, non ut alii, vel aliis, sed ipsi Resignanti, aut procuranti Beneficium, solvatur pensio, Simonia Confidentialis non erit, sed communis tantum.

Altera controversia est, an etiam in permutatione Beneficiorum committatur Simonia Confidentialis? Pro utriusque decisione sequitur sequens duplex responsio, quã ad questionem n. 32. posuim.

Resp. III. Etiam in casu, quo alicui resignatur, vel alio, ex allegatis numer. 33. modo procuratur Beneficium cum conditione, ut pensio solvatur non alii, vel aliis, sed ipsi resignanti, vel procuranti Beneficium, vera committitur Simonia Confidentialis, Castro Palao de Simonia punct. 18. numer. 6. Garcias p. 11. de Beneficiis cap. 3. num. 194. Suarez cap. 43. num. 7. & alii. Ratio præcipua est, quia Pius V. per suam Bullam confirmat, & innovat Bullam Pii IV. atqui hæc expressè disponit, Simoniam Confidentialem etiam in illo casu committi, quo resignans, aut procurans Beneficium, pensionem sibi solvendam pacificatur, uti patet ex l. §. Bulle, hinc licet Pius V. in sua Bulla id specificis verbis non expresserit, tamen implicite idem statuit, innovando & confirmando totam Pii IV. Bullam. Confirmari possit Conclusio pluribus rationibus, quas vide apud citatos DD.

Notandum tamen, cum licentia & autoritate Pape, sicut & in nonnullis casibus cum licentia Ordinarii fieri posse resignationem Beneficiorum cum onere solvendi Resignanti pensionem annuam; pro ut ex professo amplius diximus Lib. III. Tit. XII. Ut Beneficia Ecclesiastica sine Diminutione conferantur. §. IV. per totum.

Resp. IV. Non committitur Simonia Confidentialis, sed communis duntaxat, in permutatione Beneficiorum, etiam si ex parte Commutantium fiat cum pacto, aut reservatione Accessus, vel Regressus, vel Regressus, vel cum conditione, ut pensio, vel pars fructuum uno permutantium, vel alii solvatur, Navarrus b. r. consil. 77. Suarez cap. 43. num. 11. Palao de Simonia punct. 18. m. 2. Ratio est, quia lex penaliter (qualis est, que in duabus Bullis Pii IV. & V. habetur de Simonia Confidentiali) est strictè interpretanda L. 42. ff. de Pœnis. Et c. Odia de Reg. Jur. in. 6. Nec extendenda ultrà expressa, per Vulgaria iuris; atqui casus Permutationis in præfata Lege non exprimitur; ergo.

Dicitur autem notanter ex parte permutantium: si enim Ordinarius, vel alius Beneficii Collator cum uno, vel utroque Permutantium pactum iniret, quòd vellet v. g. permutationem admittere, vel factã permutationem Beneficium conferre cum hac conditione, ut similia Beneficia permutata, vel eorum aliquod cum tempore alicui certo alteri tribuatur, vel sibi, vel aliis pars fructuum solvatur, Simoniam Confidentialem omnino committerent, penalisque illius incurrerent, ut bene advertunt Doctores num. præced. citati, pateque clarè ex Constitutione Pii V. Intolerabilis, utpote que ad Collatores universitatis loquens ait: Si Ordinarius, vel alius Collator contulerit, vel conferat Beneficium, quovis modo vacans (consequenter etiam si vacat ex causa permutationis, cum verbi generaliter fiat intelligenda c. quia circa 22. de Privileg. Et c. conditione tacita vel expressa &c.) Simonia Confidentialis reus erit.

Id tamen limita in casibus, in quibus Ordinarius pensionem imponere potest, juxta d. e. supra num. 38.

Si quæras, utrum Simonia Confidentialis sit Juris Divini vel Ecclesiastici duntaxat? R. Sp. Si alicui aliquo ex allegatis numer. 33. modis procuratur Beneficium cum hac conditione, ut Beneficium memoratum cum tempore iterum cedatur procuranti, vel alicui alteri, consequenter solum spirituale pro spirituali tradatur, aut promittatur, erit Simonia Juris Ecclesiastici introducta per Constitutiones Pii IV. & V. Si verò fiat cum conditione, ut procuranti, vel alteri solvatur certa pars fructuum, seu pensio; consequenter datur spirituale pro temporali, erit Simonia Confidentialis Juris Divini, prout liquet ex utriusque natura supra numer. 26. declarata.

Cæterum quia casus Confidentialis Simonia non raro occurrunt, sicut unam saltem ex præfatis Constitutionem Pii V. videlicet, per extensum his subjungere, ut quis fontem ad manum habeat, ex quo videre possit, an, quando, & à quibus committatur Simonia Confidentialis; quomodo ob eam incurrantur poenæ, & quomodo probetur. Licet de penis illius etiam infra §. XI. à num. 284. in specie sumus locuturi.

Declaratio casuum, ac præsumptionum, in causis Confidentialis Beneficialis contra quoscunque, etiam S. R. E. Cardinales cum appositione panarum.

Intolerabilis multorum perversitas, qui sacrosanctas Constitutiones novis quotidie Fraudibus eludere nituntur, sæpè illorum auctores in necessitatem adducit, cautius providendi, quo pernicium animi ab improbis conatibus graviore sanctione postposita reprimatur.

§. I. Bene quidem, & providenter sel. rec. Pius Papa IV. prædecessor noster ad tollendam fiduciarie mancipationis Beneficiorum Ecclesiasticorum corruptionem, statuit & decrevit.

§. II. De Divisione Simonia in Mentalem, &c.

Ut in Bulla cit. in rub.

Verumtamen propter improbas multorum cupiditates prædictas, que ad purgandum hæc pernicie Ecclesiam, & animarum salutem ab ipso prædecessore edita sunt, in multis deprehendimus viam aperuisse gravius delinquenti. Siquidem cum frequentius plurimum querelis pridem concitati, quòd Judices in causis hujusmodi confidentialiarum expediendis remissiores essent, omnes & singulas causas ipsas, ubicunque notas, ad nos advocavissent, ad omnimodam hujusmodi causarum presentium & futurarum, remanque omnium ex ipsis resultantium cognitionem nobis & Successoribus nostris reservavissent, & super quibusdam coram nobis processum fuisset, variis inde, ut levis conjecturis intelleximus, vitium quidem confidentie occulte repisse, sed plerisque causis præsumptiones, & conjecturas, que ad illud probandum deducuntur, minime sufficere, ejusque rei causa plurimos, qui ante litterarum prædictarum editionem hujusmodi confidentias exercebant, ubi cognoverunt obstruam veritatem propter difficultates probandi in iudiciis Confidentialis ipsas contempti Constitutione prædicta, Ecclesias, Monasteria, & Beneficia sic recepta, ut prius retinere, alios fructus, pensiones, & alias rei accipere, alios eorum exemplo ad similia & graviora Beneficia commoveri. Multi enim ipsa Beneficia jure retinere nequebant, alii ne cogantur ad sacros Ordines, ad residentiam, ad incedendum in habitum Clericali, ut ad bellam professantur, ut inimicos occidant, alii ut alieno nomine lites agant, aut defendant, alii propter crimina incapaces, quidam ut purgato delicto, vel absolute confessione, illa repetant, eadem in alios deponant, & in plerisque fructus ipsorum aut eis ministrantur, aut quibus ipsi statunt, sæpè laicos & inhabilibus. Plerique vel senes, vel infirmi, ut Beneficia in domibus suis perpetuo, illa renuntiarent, & renuntiant in alios, qui vel profanam familiam cedentium de fructibus Ecclesiasticis alant, vel illa etiamnum infirmis, aut valentibus, afferrent, sacro interdum circuitu retrocessionis cum reservatione fructuum, & aliarum rerum, aut accessu presentium ab illis, qui prædictarum iurium Cam. Apost. sunt immunes; alii aut incapaces, aut alii Beneficiis consti, aut Ecclesiastico ordini sese mancipare resignantes, aut merè laici Beneficia Ecclesiastica alant conferenda procurant, ut de illis postmodum ad libitum suum disponatur, fructus etiam percipientes inter se. Ad hæc plerique Ordinarii, & Collatores, ac etiam Patrons laici curant deponenda Beneficia, ut fructus, seu pensiones capiant eorumdem, aliusve faciant ministrari. Alia item permulta ejusmodi admittuntur, quibus immaculata verum Ordinarium puritas impie violatur, Discipline Ecclesiasticæ nervus dirumpitur, & imminens patrat exitium animarum.

§. III. Quare nos volentes periculosam talium audaciam novi Juris subsidio cohibere, presentium auctoritate statuimus.

Ut si quis quocunque auctoritate Ecclesiam, vel Monasterium, aut aliud beneficium Ecclesiasticum qualecunque ex resignatione, vel cessione cuiusque persone, simpliciter, aut cum circuitu retrocessionis, cum regressu vel accessu etiam sola dimittenti intentione receperit, ut illa, vel illud etiam in eventum regressus vel accessus, eidem dimittenti, vel alteri postea conferantur, aut illius fructus, vel eorum pars alii vel aliis concedantur, vel pensiones solvantur, ex eisdem hæc confidentialia censentur.

Item, si Ordinarius, vel alius Collator contulerit ante hac, aut conferat in futurum, beneficium Ecclesiasticum quovis modo vacans, eà conditione tacita vel expressa, ut postea in alterum pro arbitrio Collatoris, seu alterius cuiuscunque contra Juris communis ordinationem disponatur, sive ut de eo provisorius fructus illius, vel partem ad utilitatem vel libitum conferentis,

aut decedentis, aut alterius relinquat, & remittat, seu pensionem illi vel illis, quem vel quos idem Collator, aut cedens, vel alius per se vel alium, scripserit aut verbo jussit seu significaverit, persolvat, & pariter, si à patrono etiam laico, vel alteri presentatori seu electori contigerit, aut contingat id fieri.

Ad hæc si Clericus prædictæ Camere, aut Cardinalis, aut alius à solutione iurium ipsius Camere, vel etiam Cancellaria Apostolica exemptus, post resignationem vel cessionem alicujus extranei, de Ecclesia, Monasterio, vel alio Beneficio Ecclesiastico in se, Apostolica, vel alia auctoritate factam, & admissam, illam, vel illud etiam concessis litteris Apostolicis, & possessione apprehensa, in eandem resignantem vel cedentem, modico spatio interjecto, veluti duorum vel trium mensium retrocesserit, aut retrocedat in futurum, & ex illa recessione fructus Ecclesie, seu Monasterii, aut Beneficii, vel eorum pars, seu pensio, seu quid aliud super his reservatum, aut regressus, seu accessus, & ingressus ad illam vel illud, ipsi Clerico, vel Cardinali, aut alii exempto sit, fueritve concessus.

Postremo, si quis crimine aliquo absolutus, aut cum quo super irregularitate dispensatum est, denique receperit quocunque auctoritate Ecclesiam, Monasterium, vel aliud beneficium Ecclesiasticum, quod ante, vel post commissum delictum, aut contractam irregularitatem dimiserit, in quibus horum casuum Confidentialis pravitas sit contracta, casusque hujusmodi litteris prædictis comprehendantur, ac si illis speciatim expressi fuissent, licet ipsorum Confidentialia crimen alterius tantum partis conscientia sit admittent.

§. IV. Ad probandum verò plene Confidentialiarum abusum, inter alias etiam hæc præsumptiones, & conjectura habeantur legitime. Videlicet.

Si quis post cessam ab se Ecclesiam, vel Monasterium aut Beneficium, & publicatam resignationem, seu cessionem, captamque à Successore possessionem, sese in illa, vel illo, seu rebus illius, per se vel alium seu alios, de facto ingresserit, aut fructus perceperit, aut quocunque Successor illi, vel ejus propinquus & ipsos aut partem aliquam remiserit eorumdem.

Si recipiens Beneficium constituerit dimittentem, vel ejus parentes, propinquos aut procuratores ad percipiendum, vel locandum fructus Beneficii dimissi, & illi vel illis de fructibus perceptis, aut percipiendis donationem fecerit.

Si vel solâ procuratoris depositione, vel liberis rationibus mensuriorum ex parte dimittentis, expeditio, que personam recipientis concernit, persecuta sit, simulque expensæ pro ea necessaria ab illo factæ fuerint.

§. V. Denique, si quis pro concessione alicui facta quocunque auctoritate de Beneficio Ecclesiastico, per se vel alium, seu alios intercesserit, vel alius in negotio concessionis sese immiscuerit quocunque modo, deinde aliquid de fructibus tacti Beneficii de facto, etiam per manus possessoris, ac etiam simplicis donationis titulo perceperit, seu de illo postmodum ad voluntatem intercessoris fuerit dispositum quodocunque.

§. VI. Testes autem de quocunque re singulares singulas probare valeant præsumptiones & conjecturas, pluresque hujusmodi præsumptiones, & conjecturas plenam probationem faciant in prædictis.

§. VII. Ceterum criminosis, & ceteri omnes, qui ad prohibendum in casibus Simoniae testimonium recipi possunt, ad prædicta omnia admittantur.

§. VIII. Sed ne quisquam etiam vanâ fiducia fretus, non intendenti contra se iudicium, in crimine perseveret, utque hoc malum gravioris censura stimulo usqueque prohibeatur, omnes & singulos, qui hucusque Ecclesia, Monasteria, Beneficia, fructus, pensiones, aliove res intercedente hoc confidentiali vitio receperint, ac retinent, nisi statim ad se reversi, & respicientes celeri

dimissione sibi profererint, & qui quid tale admiserint in futurum, etiam omnibus & singulis aliis Ecclesiis, Monasteriis, dignitatibus, administrationibus, officiis, & beneficiis obtentis, qua pariter sub dicta reservatione comprehendi volumus, nec non fructibus, pensionibus, & aliis rebus Ecclesiasticis, ac etiam Romanae Curiae, & aliis Officiis temporalibus presentium auctoritate privamus, & ad futura inhabiles decernimus, & in Juris subsidium Excommunicationis sententiam immodamus, a qua nullus, nisi in moris articulo constitutus, ab alio quam a Romano Pontifice absolutio beneficii valeat obinere. Nos enim advocacione causarum hujusmodi, & reservatione cognitionis illarum, rerumque omnium inde emergentium, nobis & praedictis Successoribus, ut praedictum est, facta, causis illis duntaxat exceptis, qua jam coram Nobis pendere cognoscuntur, ac etiam in quas ratione Ecclesiarum & Monasteriorum, quorum dispositio in Consistorio fieri consuevit aut debet, itemque contra ordinarios Collatores Episcopos, & alios superiores Praelatos, etiam Cardinales haberi contigerit, ne jam aliis nostris literis statutum est audiendis, decidendis, & terminandis, harum serie prorsus relaxata, decernimus, ita deinceps quoscunque Judices ordinarios & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac praedictae Romanae Ecclesiae Cardeaes, sublata eis & ipsorum cuiusque, quavis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, ubique iudicari, interpretari & definire debere, nec non irritum, & inane quidquid secus in praedictis per quoscunque quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. IX. Quocirca omnibus locorum Ordinariis districtius injungimus, ut in suis quisque Ecclesiis, Curiaribus, Diocesis, & locis etiam exemptis, ad praedicta studiose attendat, & quatenus illis relaxavimus, in delinquentes severe animadvertant, si divina Majestatis iudicium, distique Sedis Censuram voluerint evitare. In ceteris vero causis, & negotiis (nobis, & praedictis Successoribus exceptis) eiusdem locorum Ordinarios presentium auctoritate delegamus, ut gratia & favore postpositis, pro se quisque cum venerit usus, contra praedictos omnes sub ipsa exceptione comprehenso diligenter inquireant, suasque inquisitiones, omnes sigillo obligatas ad praedictam Sedem quamprimum transferant, ut nos, & praedicti Successores in causis hujusmodi procedentes, quod iustum fuerit, decernamus. Nos enim singulis Ordinariis ipsis praedictis omnes, & quoscunque alios, etiam exemptos per Edictum publicum, consilio prius summarie, & extrajudicialiter de non rito ad illos accessu citandi, & monendi, eisque ac Iudicibus ordinariis & delegatis, aliisque personis quibuscunque ne praedictorum executionem quoquo modo impediunt, vel alius in illis sese interponant, etiam per simile Interdictum inhibendi, eosdem ac alios contraditores & rebelles quoscunque per Censuras & penas Ecclesiasticas, ac omnia alia Juris & facti remedia opportuna compellendi, auxilium brachii secularis quandoque opus erit invocandi, ceteraque in praedictis, omnibus & singulis necessaria faciendi & exequendi, plenam & liberam tenore presentium concedimus facultatem.

§. X. Non obstantibus sel. rec. Bonifacii Papae VIII. Praedecessoris nostri de una & in Concilio Generali edita de duobus dietis aliisque Apostolicis constitutionibus & Ordinationibus, quodque Episcopis, Collatoribus, & Praelatis praedictis etiam Cardinalibus, & quibusvis aliis, communitur & divisim ad praedicta sit Sede indultum, vel impostum indulgeri contingat, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari, aut contra indulta hujusmodi ad iudicium trahi non possint, per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, & ad verbum de indulto hujusmodi mentio-

nem, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, & litteris Apostolicis, generalibus & specialibus, quoruncunque tenorem exhibent, per que presentibus non expressa, aut in totum non inserta, effectum presentium aut attributa praedictis Ordinariis jurisdictionis executione, seu executione, vel executione impediri valeat quomodocunque vel differri, & de quibus quoruncunque tenoribus habenda sit in nostris litteris mentio specialis, ceterisque contrariis quibuscunque.

§. XI. Litteris Praedecessoris hujusmodi nihilominus in suo robore duraturis.

§. XII. Volumus autem, ut presentium exempla etiam impressa edantur, eoque Notarii publici manu, & cuiuscunque Curiae Ecclesiasticae vel Praelati sigillo ob signata eandem litteram prorsus fidem, in iudicio & extra, ubique locorum faciant, quam ipsi praesentes facerent, si essent exhibitae vel ostensa.

Nulli ergo omnino &c. Datum Rome apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae 1569. Kal. Junii, Pontificatus nostri Anno 4.

§. III.

De Materia, seu Merce Simoniae, Re videlicet Spirituali, vel Spirituali annexa.

SUMMARIUM.

- 43 Materia seu Merx Simoniae quid?
- 44 Res spiritualis, quatenus Materia Simoniae quid?
- 45 Alia est spiritualis ex natura sua, & quae?
- 46 Alia est talis causative: & quae?
- 47 Alia effectivè talis: & quae?
- 48 Enumerantur plures Species materiae Simoniacae, usque ad num. 52. & num. praeced.
- 52 Res spiritualis annexa, quatenus materia Simoniae quid?
- 53 Aliqua sunt rei spirituali annexa antecedenter.
- 54 Alia concomitanter.
- 55 Alia subsequenter.

NOtandum prius, rem spiritualem, vel spirituali annexam, pro qua datur temporale, a Doctoribus communiter vocari *Materiam*, seu *Mercedem* Simoniae; ipsam vero rem temporalem vocari *Pretium*, seu *Munus* Simoniacum. In praesenti igitur §. de materia, seu Merce Simoniae; in sequenti vero de Pretio Simoniaco agemus.

Queritur I. Quid, & quotuplex sit Res spiritualis, quatenus est Materia Simoniae? & quid intelligatur per eam? Resp. I. Per Rem spiritualem, pro qua tanquam materia, seu Merce datur temporale vi Simoniae, non intelligitur res incorporata, ut Angeli v. g. aut anima rationalis, sed omne, & solum illud, quod aliquo modo donum supernaturalis est, seu ad bonorum supernaturalium ordinem spectat, & ad spiritualem animae salutem ex institutione Divina, vel humana ordinatum est. Ita Marchantius *Tom.* 3. *Traç.* 10. num. 95. Navarrus in *Man.* cap. 23. numer. 99. Suarez de *Simonia* cap. 8. num. 6. cum communi aliorum. arg. c. Gratia 1. can. qui studet. 11. can. 1. q. 1. cum Concordant.

Resp. II. Res hujusmodi spirituales multiplices, & variae sunt: Aliae squidem tales sunt essentialiter, aliae casualiter, aliae effectivè, ut videre est apud Pirhing. b. 2. *sect.* 1. §. 1. numer. 2. & alios, patebitque adducendo breviter, & explicando singularum species. Sunt ergo Res spirituales ex natura, seu essentialiter tales, consequenter Materia, seu merx Simoniae inter alia à potiori frequentes in Specie. Videlicet omnes gratiae supernaturales

rales tam gratum facientes, quam gratis datae, tam habituales, quam actuales. Item Virtutes Theologicae & morales infusae, characteres Sacramentales, & similia, argumento desumpto ex *Aff. cap.* 8. §. 20. Ratio est, quia haec ex natura, seu essentiali sua sunt Res spirituales, ut putata dona supernaturalia à solo Deo data.

46 Spirituales casualiter sunt omnia septem Sacramenta, item omnia Sacramentalia, uti sunt omnes Consecrationes, Benedictiones quarumcunque rerum, v. g. aquae, numismatum, Crucium, Rosariorum, vestimentorum & vasorum Ecclesiae, Altarium &c. Item officia Ecclesiastica ad spiritualem, seu supernaturalem finem ordinata, v. g. Praedictio verbi Dei, Orationes, quae ex institutione Ecclesiae sunt &c. Quae & similia sunt ac dicuntur spiritualia casualiter, ed quod sint aliquo modo causae rerum spiritualium essentialiter taliter nunc praeced. specificatarum. Et quidem quod haec omnia sint materia Simoniae, universaliter constat ex can. *fin. cau.* 1. q. 3. c. Non satis 8. & c. *Cum Ecclesia* 9. h. 1.

47 Spirituality effectivè sunt, quae à Dono, Officio, potestate, vel Jurisdictione spirituali tanquam causa proximè procedunt. Talia plura sunt, & quidem in primis sunt Patratio miraculorum, quae utpote à gratia gratis datae proveniens, ne Simoniacè fiat, specialiter prohibuit Christus *Matth.* 10. §. 8. dicens: *gratis accepistis, gratis date.*

48 Secundo talia etiam sunt actus Officiorum, & potestatum spiritualium, v. g. ordinare, confirmare, sepelire &c. quos materiam Simoniae esse aperte liquet ex cit. c. Non satis 8. e. *Cum in Ecclesia* 9. c. *Ad nostram* 21. c. *suam* 29. h. 1.

49 Tertio Talia sunt omnes actus Jurisdictionis spiritualis, Fori interni, & externi, v. g. Dispensatio in votis, juramentis, impedimentis, legibus Ecclesiasticis, quos Materiam Simoniae reperies can. nullus Episcopus 24. cau. 1. q. 1. c. Nemo 14. h. 1. c. *Ad aures* 24. eod. & novissime in Concilio Trident. *sess.* 24. cap. 5. de Reformat. *matrim.*

50 Talia item vel maxime & frequentur occurrentia sunt, Electio, Postulatio, Praesentatio, Nominatio, Institutio, Collatio, Investitura &c. ad Beneficia, Dignitates, & Praelaturas Ecclesiasticas, quae ne Simoniacè fiant, passim prohibetur in *Jure*, ut c. De hoc 11. c. *Mattheus* 23. c. *In tantum* 36. h. 1. cum Concordant.

51 Et universaliter taliter sunt omnes alii actus Potestatis ac Jurisdictionis Ecclesiasticae tam voluntariae, quam contentiosae, per Jura citata, quibus adde c. *Videntes* 10. cau. 1. q. 3. & ibi Glossam *Y. Justitiam*. Item c. *cum ab omni* 10. de *uita*, & *honest. Cleric.* Ratio est, quia omnes isti actus sunt ministerium quoddam Ecclesiasticum, quod ne pro temporali Simoniacè praestetur, universaliter prohibetur c. *Ad nostram* 21. h. 1.

52 Queritur II. Quid? & quotuplex sit res spirituali annexa? & quid intelligatur per eam, quatenus est Materia, seu Merx Simoniae? Resp. I. Per rem spirituali annexam ad propositum intelligitur illa, quae quidem in se, & intrinsicè spiritualis non est, sibi tamen annexam & conjunctam habet rem spiritualem, indeque Materiam, seu Mercedem Simoniae ingreditur, ita Doctores communiter, & statim magis patebit ex c. d. d.

53 Resp. II. Tripliciter potest aliquid esse annexum Rei spirituali, Antecedenter, videlicet, Concomitanter, & subsequenter. Antecedenter Rei spirituali annexa sunt, quae prius jam existunt, & praesupponuntur, atque Rei spirituali annectuntur, vel cum ea conjunguntur. Hujusmodi res sunt Tempora, Alaria, Calices, Vestes, & Vasa sacra, omnes *Reiffensuel Jus Can. Tom. V.*

que aliae res consecratae, & benedictae, utpote quae omnes tanquam quid ex se profanum prius jam existunt, antequam benedicantur, vel consecrentur, seu antequam Benedictioni, & Consecrationi tanquam Rei spirituali annectantur, & cum ea conjungantur. Et quidem has omnes Materiam Simoniae esse, passim habetur in *Jure praeteritum* verò ex can. *si quis abjecerit* 7. cau. 1. q. 3.

Concomitanter annexa sunt, quae cum re aliqua spirituali intrinsicè, & inseparabiliter sunt conjuncta; uti est, v. g. labor actualis, seu exercitium corporis in celebratione Missae, administratione Sacramentorum & aliorum Officiorum Divinorum. Intuitu cujus connexionis Materia, seu Merx, Simoniae sunt, ita, ut pro tali labore dare, vel accipi temporale non possit; prout magis dicitur infra §. X.

Subsequenter connexa rei spirituali sunt, quae hanc tanquam causam praesupponunt, eamque seu effectus sequuntur; uti sunt Beneficia, & pensiones Ecclesiasticae, Decimae &c. Primitiae, Oblationes &c. seu Jura has percipiendi; haec enim officium, vel Ministerium spirituale, tanquam sui causam, & originem praesupponunt, cum Beneficium, seu jus percipiendi redditus detur propter Officium. Et haec quoque Materiam Simoniacam esse, copiose testantur *Jura*, ut can. *si quis dator* 2. cau. *si quis Episcopus* 3. cau. *quasi tum* 4. cau. 1. *quest.* 3. cum Concordant.

Verum, uti jam supra dictum, de his omnibus amplius dicitur infra agendo de Simoniacis in Specie.

§. IV.

De Pretio, seu Munere Simoniaco.

SUMMARIUM.

- 56 Pretium Simoniae Juris Divini est omnis, & sola res temporalis, quae etiam vocatur Munus.
- 57 Simonia Juris Ecclesiastici Pretium esse potest, etiam res spiritualis.
- 58 Extra materiam Beneficiorum non est Simonia, dare spirituale pro spirituali.
- 59 Pretium Simoniacum aliud est, & dicitur Munus à Manu: & quid hoc?
- 60 Aliud Munus ab obsequio: quid isto veniat?
- 61 Aliud Munus à lingua: & quid istud?
- 62 Doctrina practica ad propositum.
- 63 Non est Simonia sine pacto simpliciter orare, aut commendare, ut mihi aut alii conferatur Beneficium.
- 64 Intuitu precum sibi factarum conferre Beneficium minus digno, relicto digniori, non est Simonia, sed aliud peccatum.
- 65 Dare Beneficium, vel quid aliud spirituale intuitu consanguinitatis non est Simonia.
- 66 Pariter non est Simonia ex timore mali incurrendi id facere.
- 67 Dare temporale tanquam motionem consequendi spirituale, an sit Simonia? Remissivè.

Queritur I. Quid? Et quotuplex sit Pretium Simoniacum, vel Simoniae? Resp. I. Loquendo de Simonia Juris Divini, nomine Pretii Simoniaci hic non tantum intelligitur pecunia, sed omnis, & sola quaecunque tandem res temporalis, quae datur, vel offertur pro re spirituali, vel huiusmodi annexa. Unanimis & certa, patetque ex dictis supra. Porro hoc Pretium Simoniacum in *Jure* vocari solet *Munus*, non quidem, prout munus significat donum gratuitum, sed prout importat onus seu debitum ex obligatione. Nem ut dicitur

dicitur L. Munus tribus. ff. de V. tribus modis accipitur Munus, primo pro dono gratuito, quo sensu dicimus munera dare. Secundo pro officio, unde munera militaria, & civilia dicuntur. Tertio pro onere, in quo sensu à ly minus derivatur ly muni- cipes, immunit, immunitas.

57 Dicitur autem notanter legendo de Simonia Ju- ris Divini, quia in simonia Juris Ecclesiastici Pre- tium esse potest etiam aliquid spirituale, in ma- teria Beneficiorum videlicet, quæ licet sint spi- rituale, nihilo minus si propria autoritate sit Commutatio illorum, aut Transfatio in Materia, committitur simonia Juris Ecclesiastici, etsi solum detur spirituale pro spirituali, prout amplius dictum, & ex iure probatum est supra n. 25.

58 Notandum tamen, quod extra materiam Bene- ficiorum nunquam committitur simonia, si etiam propria autoritate datur spirituale pro spirituali, v. g. sacræ Reliquiæ pro Reliquiis, Missa vel pro aliis rebus spiritualibus, uti cum aliis Suarez lib. 4. de Simonia cap. 31. num. 20. Pirhing b. t. num. 114. Ratio est, quia istud nullo iure, nec Di- vino nec humano reperitur prohibitum, nec a- liqua irrogatur injuria rei sacræ, hoc ipso, quod non detur pro re temporali, sed spirituali, quod licere constat etiam ex sacris Paginis, Joan. 1. Gra- tiam pro gratia.

59 Resp. II. Pretium, seu Munus simoniacum divi- ditur in Munus à manu, Munus ab obsequio, & Mu- nus à lingua. Ita communis, textu claro can. sunt nonnulli 114. cau. 1. q. 1. ibi: Aliud est Munus ab obsequio, aliud Munus à manu, aliud Munus à lin- gua. Per Munus à manu intelligitur hic non sola pecunia, quæ aliis propriissime pretium est, arg. l. quod si servis §. fin. Et l. si res ff. de in rem verso, cum Concord. sed etiam quævis alia res temporalis pretio æ- stimabilis, utilitatem aliquam, vel commodum as- ferens, sive deit fit mobilis, sive immobilis, sive cor- poralis, sive incorporalis, qualia v. g. sunt artificio- sè picturæ, currus, equi, vasa argentea, & aurea, dolia vini. Item jura, census, pensiones, debiti rem- issio, dilatio, vel anticipatio, mutatio pecuniæ. Na- varrus Manual. cap. 23. num. 101. Bonacina de Simo- nia §. 1. num. 3. Layman de Simonia §. 3. nu 25. cum communi aliorum arg. can. totum. 6. cau. 1. q. 3. ubi omnia hæc pecuniæ acquirantur. De remissione de- biti constat ex c. Veniens. 10 de Testibus, Et Attestat. c. 3. Et penult. h. t. cau. Tula 1. cau. 8. q. 3. De Mutatione pecuniæ, anticipatione, & solutione debite habetur ex l. quisquis. C. si certum petatur. Ratio universalis est, quia in his omnibus reperitur aliqua utilitas, vel commoditas temporalis, quæ si pro spirituali, aut hoc pro illa offertur, promittitur, aut datur, semper Simoniacum est per dicta, & probata supra.

60 Per Munus ab obsequio intelligitur omne quod- cunque tandem servitium, vel obsequium tempo- rale tacito vel expresse pacto pro re spirituali præ- stitum, vel præstandum. Ita communis, careque controversia, arg. c. Cum essent. 12. h. t. & ibi Docto- res. Hinc Simonia est, si quis sine omni, vel incom- petente salario, Episcopo, Canonico, vel alii Col- latori, aut Patrono agat Capellanum, hujus vel il- lius instruat juventutem &c. tacito vel expresse pa- cto, ut cum tempore ab eis obtineat Beneficium. Item recipere si Collator, Præsentator Beneficium promittat, vel conferat, aut Eligens ad id dat votum, tacito vel expresse pacto, ut Beneficium acci- piens, illi vel Consanguineis ejusdem præstet certum genus obsequii temporalis. Num autem Simonia etiam committatur, si quis serviat, seu obsequium præ- stet alteri sub sola spe & motivo consequendi ab illo Beneficium, dicemus §. seq.

61 Per Munus à lingua intelliguntur laudes, recom-

mendationes, preces, intercessionis, quæ tacito vel expresse pacto pro Beneficio, aut alia re spi- rituali interponuntur vel interponendæ promittuntur, aut exiguntur apud Principem, Communita- tem, Magnæm, vel alium quempiam. Navarrus in Manu. cap. 23. n. 102. Suarez de Simonia cap. 4. à num. 1. Bonacina de Simonia §. 1. num. 13. Layman lib. 4. tr. 10. cap. 3. num. 26. cum communi aliorum, arg. can. sunt nonnulli 114. cau. 1. q. 1. Ratio est; quia etiam hoc munus quid temporale, & pretio æstimabile est, ita ut etiam pretio vendi possit, con- sequenter si pro re spirituali, aut hæc pro illo da- tur, vel offertur, Simonia est.

Inferitur, Simoniam esse, quando Collator, aut Præsentator Beneficium, vel habens votum ad illud conferendum, promittit, aut alicui conferat Bene- ficium, vel præsentat, aut det votum, tacito, vel ex- presse pacto, ut talis recipiens Beneficium, vel po- tens illius Pater, Frater, Consanguineus &c. pro Collatore, Præsentatore, aut ejus amicis &c. apud Principem, Communitatem, magnum Dominum in- tercedat, vel illum commendat, vel ut suâ, aut alio- rum intercessione, recommendatione faciat, ut Col- latori vel ejus amico &c. certum conferat Offi- cium, aut aliud præstetur obsequium temporale. Idem est, si Beneficium, aut quid aliud spirituale impetraturus, ad similes preces recommendationes per se, vel per alios faciendas se offerat, illaque promittat, vel faciat tacito, vel expresse pacto ob- tinendi spirituale.

Notandum tamen cum Laymano loc. cit. & aliis Doctoribus num. præced. allegatis, contra D. Tho- mam 2. 2. q. 100. a §. ad 3. Durandum, & Adrianum, non esse Simoniam, simpliciter orare, rogare, inter- cedere, laudem aut recommendationem asserre apud Collatorem, Præsentatorem &c. Ut sibi, vel certo cuidam conferat Beneficium, vel quid spi- rituale. Item non esse Simoniam, si intuitu solius in- tercessionis, recommendationum aut precum, ab- que alio tacito, vel expresse pacto, quis conferat a- licui Beneficium, arg. can. Latorem. 121. cau. 1. q. 1. ubi ipse Papa fatetur, se ad intercessionem alterius alicui quid spirituale, Ordinem videlicet Acoly- thatus contulisse, & c. Tua nos. de Simonia, ubi de- claratur, quod humiliter roganti conferri possit Ca- nonicatus absque serupulo Simoniacæ pravitate. Ratio est; quia, qui dæ aliquid ex eo, quod ro- getur, nullâ ratione illud vendit, sed omnino gra- tis dat; consequenter Simoniam non committit. Con- firmatur univ. sal. totius Orbis Christiani consuetu- dine, quâ constat, preces & recommendationes ad obtinenda Beneficia pro se, & pro aliis ubique, etiam apud Sedem Apostolicam libere interponi, & intuitu earum non raro conferri Beneficia.

Verum, licet nullum committat peccatum Si- monia, qui intuitu solarum precum, intercessio- nis, aut recommendationis sine alio illicito tacito, vel expresse pacto Beneficium confert; nihilo minus tales in alio genere gravissime peccare possunt, & sæpe peccant, si videlicet intuitu hujusmodi pre- cum aut recommendationum Beneficia conferant indignis, aut si caræ conferant minus dignis, reli- gis dignioribus, quod grave peccatum esse, am- plius dictum & probatum est supra Lib. I. Tit. VI. de Ele. §. X. v. n. 241.

Quæritur II. An Pretium aliquid Simoniacum interveniat, aut Simonia committatur, si alicui da- tur spirituale v. g. Beneficium ratione & intuitu amicitie, vel Consanguinitatis? Resp. cum D. Tho- ma 2. 2. q. 100. art. 5. ad 3. & communi aliorum Ne- gative. Ratio est, quia licet Beneficium detur alicui Amico, vel Consanguineo quâ tali, tamen da- tur gratuito, & sine ullo pacto tacito vel expresse

consequenter etiam sine pretio temporali, & sic absque Simonia. Nec quid in contrarium probat c. Nemo. 14. h. t. quia postrema illius verba, quæ de Simonia agunt, non sunt referenda ad casum, quo dicitur, nil amicitie, aut consanguinitati gra- tia faciendum esse in occultandis peccatis.

66 Quæritur III. An Pretium Simoniacum interve- niat? & Simonia committatur, si quis alteri con- fert spirituale, v. g. Beneficium ex timore dam- ni, aut nocumtenti temporalis, aut disgratiæ a- liis incurrendæ? Resp. Negative, nisi interveniat pactum. Suarez de Simonia cap. 37. Soto, cum com- muni aliorum contra D. Thomam in 4. dist. 15. q. 3. art. 3. ad 4. & nonnullos alios, arg. c. Ad au- dientiam. 4. De his, quæ vi mensuræ causâ, ubi re- ctius jubetur ille, qui ex gravi metu Beneficium resignavit: quod factum non fuisset, si Resignatio ex timore mala facta, Simoniaca fuisset; cum Simoniaca Resignatio ipso facto inducat privati- onem Beneficii juxta dicenda §. XI. Ratio autem Conclusionis est; quia operari ex metu, non est operari ex pacto pro pretio; cum ita operans præcisè intendat avertere causam vel ansam aver- sionis, aut odii, ex quo dein malum sequi timetur.

Dicitur autem notanter, nisi pactam interveniat; quia obligatio, quæ vi pacti imponitur alteri, ne mihi noceat, & securitas mea per pactum obtenta est quid pretio æstimabile, consequenter si pro il- lo datur spirituale, Simoniam esse, volunt Docto- res citati, & alii.

67 Quæritur IV. An Pretio Simoniaco annuere- tur, vel ei equiparetur, consequenter Simoniam inducat, si quid temporale datur, offertur, aut promittitur non tanquam Pretium, sed tanquam mo- riuum consequendi spirituale, seu ea intentione, sine, aut motivo, ut obtineatur spirituale? Resp. Ad hoc Quæritum patere §. seq.

§ V.

De Pacto, seu Contractu Simoniaco: Et an hoc etiam interveniat, consequenter Simonia committatur, si temporale da- tur, aut præstatur non tanquam Pretium, sed præcisè ut motivum obtinendi spi- rituale.

S U M M A R I U M.

- 68 Ad Simoniam necessarium requiritur pactum, vel contractus.
- 69 Sufficit tamen tacitus & implicitus.
- 70 Ex parte unius duntaxat inchoatus, vel inten- tus.
- 71 Controversia specialis.
- 72 An interveniat implicitum pactum, & committatur Simonia, si absque ullo externo pacto, condi- tione, vel obligatione imposita, hæc tamen in- tentione interna offertur, vel præstatur tempo- rale, ut alter moveatur ad dandum spirituale?
- 73 Explicatur status Questionis variis casibus præ- ctis quatuor, usque ad n. 78.
- 78 Respondetur ad Questionem & casus, videlicet, veram committi Simoniam in statu questionis.
- 79 Probatur ex Decreto Innocentii XI. contrariam opi- nionem damnantis.
- 80 Probatur ex Jure.
- 81 Solutur instantia.
- 82 Probatur ulterius ex claro Juris textu.
- 83 Probatur ratione.
- 84 Confirmatur.

Reiffenstuel Jus Can. Tom. V.

85 Confirmatur ulterius ex absurdis sequelis.

86 Hæc Simonia potest esse Mentalis, Conventionalis, & Realis.

87 An sit Simonia, dare temporale sub spe consequendi spirituale?

88 Idem videtur, temporale dare sub motivo, ac sub spe consequendi spirituale, ac captandi benevo- lentiam: Et num. præced.

89 Non est Simonia, dare temporale sub spe conse- quendi spirituale, si habetur alius principalis finis dandi temporale.

90 Probatur ex Jure.

91 Probatur ratione: Et n. seq.

92 Confirmatur timoratorum consuetudine.

93 Dare temporale sub spe consequendi spirituale, seu captandi benevolentiam in ordine ad illud conse- quendum est Simonia, si spirituale principaliter in- tenditur.

95 Probatur ex Jure.

96 Probatur ratione.

97 Demonstratur ad oculum in casibus præctis.

98 Et est manifesta pessima sequela.

99 Mediante temporali parare sibi viam ad spiritua- le, Simonia est.

100 Unde colligatur, an quis principaliter, vel minus principaliter intendat per temporale consequi spi- rituale? Et n. seq.

101 Non bene inferitur: dari principaliter, si quis temporale non dedisset, nisi spirituale consequi sperasset: Et n. seq.

102 Unde cognoscatur pro Foro externo?

104 Casus præcti, in quibus committitur Simonia ad propositum.

105 Alii Casus, in quibus non committitur.

Quæritur I. An? & quale requiratur pactum, seu contractus ad hoc, ut Simonia committatur? Resp. I. Certum est, & apud Doctores in- dubitatum, ad rationem Simoniæ requiri pactum aliquod, aut contractum expressum, vel tacitum, saltem ex una parte inchoatum, vel intentum dan- di vel præstandi temporale pro spirituali, aut e- contra. Patet hoc ex ipsa definitione num. 3. da- ta, in qua ly emendi, vel vendendi, tacitum, vel expressum pactum importat, juxta dicta ibid. quam- vis non negetur, posse dari Simoniam unius dun- taxat, si videlicet unus tantum promittendo, dan- do, aut præstando temporale intendit alterum obli- gare aut movere ad recipiendæ dandum spirituale, aut econtrâ; consequenter facere talem contractum, aut pactum.

Resp. II. Non necessariò requiritur pactum, aut contractus expressus, quo quis v. g. dicat, promitto, do, præsto, vel dabo, aut præstabo tibi hoc temporale, hæc tamen conditione, seu onere, ut mihi des, conse- ras, aut præstes hoc vel illud spirituale, v. g. Bene- ficium, sed omnino sufficit etiam pactum, seu contra- ctus tacitus, & implicitus, saltem ex una parte incho- atus, vel intentus, quo quis temporale quidem dat, aut præstat, aut præstare proponit animo, & inten- tione alterum obligandi, aut movendi ad recipiendæ dandum spirituale, aut econtrâ, sique aliquam com- mutationem, & appretiationem rei temporalis cum spirituali faciendi, ita tamen, ut hunc animum suum verbis, aut signis expressis non manifestet, sive deum alter id advertat, sive non. Rursus communis ac cer- ta, pateque passim ex SS. Canonibus, præsertim ex c. Tua nos. 34. c. Etsi questiones. 18. h. t.

Dicitur tamen notanter in utraque Conclusionè, 70 Contractum saltem ex una parte inchoatum, aut inten- tum, idque idè, quia potest dari Simonia ex parte unius duntaxat; quando videlicet unus offert quid, dat, aut præstat, aut præstare proponit tempo- rale.